





From the Library  
of the late  
Principal Richard Davidson  
of  
Emmanuel College









GEORGII WILHELMI FREYTAGII

LEXICON

ARABICO-LATINUM

PRAESERTIM

EX

DJEUHARII FIRUZABADIIQUE ET ALIORUM ARABUM  
OPERIBUS

ADHIBITIS GOLII QUOQUE ET ALIORUM LIBRIS

C O N F E C T U M.

A C C E D I T

INDEX VOCUM LATINARUM LOCUPLETISSIMUS.

---

TOMUS PRIMUS.

— خ

---

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXX.

EXHIBIT

PJ  
6637  
F76  
t. 1-2



869477

---

TYPIS ARABICIS ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS  
IMPRESSUM HALIS IN OFFICINA GEBAUERIA.



**FRIDERICO WILHELMO III.**

REGI AC DOMINO AUGUSTISSIMO POTENTISSIMO

P A T R I P A T R I A E

LITTERARUM ARTIUMQUE OMNIUM INGENUARUM TUTORI  
FAUTORI LIBERALISSIMO.

H O S C E

S T U D I O R U M S U O R U M F R U C T U S

SUMMA QUA PAR EST GRATI

ET OBSTRACTI ANIMI SUBMISSIONE

D. D. D.

REGIAE MAIESTATIS

CULTOR DEVOTISSIMUS

GEORGIUS WILHELMUS FREYTAG.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

PROBLEM SET 1

Due Date: \_\_\_\_\_

Student Name: \_\_\_\_\_

# LITTERARUM ARABICARUM STUDIO SIS FAUTORIBUS PATRONIS

S. P. D.

G. W. F R E Y T A G.

Cogitanti mihi saepenumero et consideranti, quonam potissimum auxilio linguae Arabicae studium iuvarem, nil mihi aut maius aut utilius visum est, quam edere lexicon Arabicum. Multa enim quum sint huius linguae subsidia, tum illud imprimis necessarium, ut ad verborum sensus discentibus patefiat aditus. Quo subsidio quamquam hactenus non omnino caruimus, tamen lexica Arabica hoc quidem tempore sunt tam rara, ut etiam magnos si quis sumtus ponere velit, eorum comparatio habeat magnam difficultatem. Ego vero non is eram, qui vel laudis studio abreptus, vel nimio mei amore occaecatus tanta tamque difficili in re leve caperem consilium. Videram huius rei amplitudinem et horreram. Multum igitur et diu quum haesitassem, urgente usus necessitate, adhortantibusque ad opus suscipiendum amicis, eo tandem perductus sum, ut cunctatione abiecta ad ipsam rem accederem. Neque tamen quum opus aggressus essem, curis anxii liber erat animus; verebar enim, ne aut tempore exclusus, quod pro rei magnitudine nimis angustum praescripserat bibliopola, opus non absolverem, aut, si absolvissem, ob nimiam in perficiendo festinationem incurrerem in reprehensiones virorum doctorum, qui omnibus numeris perfectum si propter nimis angustum temporis spatium edi non possit, totum omittendum suadent. Nec vero vituperandus mihi videtur vir ille honestissimus de evulgando hoc opere meritis, quod me tum ad festinandum impulerit, tum ab opere nimis extendendo revocaverit. Nonne timendum enim, ne, si nimis accrevisset liber, pauci tantum ob sumtus auctos emtores reperirentur, non, si tardior moras facerem, ne alius quis simile quid edendo praeveniret? Neque vero vana prorsus fuit haec cautio. Nam quum statim post laboris suscepti initium me viseret vir summe venerandus Leand. van Ess, certio rem me fecit, se in animo habere, Golii lexicon significationibus, quae in Meninskii opere legerentur, auctum iterum edere. Ac primum quidem virum quum, argumentis a me prolatis, a re litteris vix utili, editori mei operis nocua revocari non posse viderem, acquiescendum putabam sperans fore, ut difficultatibus ab incepto deterreretur; sed quum virum quendam mihi amicissimum de iuvene, cui corrigendi operis negotium manderetur, litteris interrogasset, bibliopolae, qui mei operis edendi curam susceperat, totam rem commisi. Aliorum autem nomina, qui hac in re elaboraturi aut difficultatibus impediti aut de nostro consilio certiores facti destiterunt, recensere nil interest. Qui autem propter nimis breve temporis spatium concessum omnino rem omittendam censent, iis respondendum puto, melius esse in re necessaria, qualis est nostris temporibus lexici Arabici editio, opus edi omnibus quidem numeris non absolutum, cuius tamen ope studia Arabica et inchoare et persequi possint iuvenes, quam re omissa studium omne et amorem harum litte-

rarum exstingui. Per totum autem mihi concessum temporis spatium semper deditus isti operi perficiendo nihil cupiebam, nisi ut non nimis a virorum doctorum desideriiis abesset, caeterisque occupationibus otii tantum suppeditabam, quantum ad animi relaxationem necessarium videbatur.

Quo autem plures sunt ii, qui nec amplitudinis neque difficultatis eiusmodi operis habeant cognitionem, maiorem fortasse in opere nostro tum verborum copiam tum significationum fidem exspectantes, eo magis necessarium videtur paucis exponere, tum quod esse debeat lexici institutum, tum qui sint nostri operis et fines et ratio.

Primum quidem elaborandum, ut ea verborum copia, qua ipsa lingua gaudet, lexici opere contineatur. At quis non videt huius rei magnitudinem praesertim in lingua Arabica? Ea enim lingua non solum ditissima est omnium, sed scriptores etiam protulit paene innumerabiles, qui quum sint diversi et aetate et ingenio et a nostris moribus maxime alieni, non possunt quin sint saepius obscuri. Quare nemo iustus huiusque rei peritus a me quidem omnium totius linguae vocum aut collectionem aut explicationem postulaverit. Qui enim fieri potuit, ut tantam in toto terrarum orbe scriptorum dispersorum copiam perlegerem, quorum etiam nomina tantum abest, ut sint ab Arabibus hanc rem tractantibus recensita, ut magnam partem ipsis sint incognita. Aut quae mihi potuit esse tanta doctrina, ut, etiamsi breve vitae spatium illis perlegendis sufficeret, eorum etiam scriptorum opera recte intelligerem, qui tractarunt disciplinas mihi plane obscuras. Equidem tantum mihi non arrogo. Limitibus igitur arctioribus opus nostrum includi necesse erat, et aequis reique peritis iudicibus me satisfacturum putabam, si ea potissimum verba in opere meo explicassem, quae intelligendis scriptoribus et primae et mediae aetatis sufficerent, quibus iisdem usi esse videntur in lexicis conficiendis Djeuharius et post eum vivens Firuzabadius. Horum igitur operibus iterum iterumque perlustratis, quidquid scitu dignum esset, in mei operis ordinem transtuli; nihil videbatur enim tam consilio nostro aptum, tam conveniens ad usum iuventutis. Simulque non parvam scholiorum veterum copiam aliosque auctores multos magno cum studio pertractavi, plura a Reiskio et Iac. Schultensio ad Golii marginem adscripta in usum meum converti, ut si plures meo opere tum voces tum earum explicationes, quam et Djeuharii et Firuzabadii contineri contendam, nemo hoc arrogantius a me dictum existimaverit. Neque vero cuiusque artis voces proprias, quas dicunt technicas, quarum in lingua Arabica tanta reperitur copia, ut integri voluminis spatium impleat, neglexi, magnumque numerum tum ex grammatica, tum ex arte metrica et rhetorica, tum ex aliis in opus inserui. Sed quum ne ipsis quidem Arabibus doctissimis nota sint earum rerum vocabula, quae cuique arti atque scientiae propria his tantum accommodatum habent sensum, nemo a me earum rerum vocabula explicata postulaverit, quarum doctrina non sum imbutus. Arabes enim quamquam non ipsi multas disciplinas atque artes inyenerunt, tamen ab aliis inventas amplificarunt et exornarunt, et vocabulis propriis sive, ut ita dicam, technicis, ut vocum significationes, quae artes aut litteras spectant, accuratius intelligerentur, efficere studuerunt. Istas enim Arabibus usitatas voces ut recte intelligamus, duo requiruntur, unum ut linguam Arabicam bene calleamus, alterum ut simus in iis disciplinis artibusque versati, quarum propriae sunt haec voces. Hoc autem maius quiddam esse, quam ut ab uno viro brevi vitae spatio praestari possit, quis est qui neget? Quanta enim est earum artium multitudo, quas et coluerunt Arabes et perfecerunt? Acquiescendum igitur est in votis, ut quod ab uno viro non peragatur, id plures viribus coniunctis perficiant; magno enim linguae Arabicae, imo multarum disciplinarum atque artium studio esset adiumento, si quae variarum et disciplinarum et artium voces propriae in multis libris dispersae sunt, in lexico collectae et explicatae reperiren-

tur. Sed ut huic desiderio satisfiat, legendi sunt cuiusque artis scriptores ab iis, qui harum rerum periti sunt eo quidem consilio, ut vocabula propria sive, ut ita dicam, technica colligantur et explicentur.

Iam antea dictum, me non id curasse, ut ex omnibus cuiuscunque generis atque aetatis scriptoribus tum verborum tum significationum copiam colligerem, primae me et mediae aetatis potissimam habuisse rationem. Quapropter eas significationes, quas scriptores Persici et Turcici verbis Arabicis subiiciunt, inferre supersedi; voces enim Arabicae, quas vel Persae vel Turcae adoptarunt, tam multum abest, ut in lingua Arabica usitatas conservarint significationes, ut haud raro pro varia utriusque linguae ratione mutatas acceperint. Tu vero, qui lexicon Arabicum omnimodo significationibus augere suades, non videris animadvertere, istae non mere Arabicae significationes quam facile non solum tirones, sed etiam doctos in errorem ducant. Neque enim mihi alia causa, cur ex libris male scriptis, quales sunt versiones tam veteris quam novi testamenti, aut nunquam aut perraro vel formas vel significationes adnotaverim, ne plus noxae quam utilitatis adferre viderer legentibus. Quae vero voces peregrinae aut antiquissimis temporibus, ipse enim poeta celeberrimus Alscha Persicas admittere voces non dubitavit, ab Arabibus in linguam receptae, aut a bonis senioris aetatis scriptoribus, qualem nominare placet Ebn-Arabschahum, adhibitae leguntur, iis si in libro locus daretur, operae pretium fore putabam. Voces Geographicae nominaque clarorum virorum quamvis sint interpretandis scriptoribus adiumento, tamen extra operis fines posita habui. Eorum enim in libris Arabicis tanta exstat multitudo, ut nec dignioribus quidem concedi possit locus et horum sit difficilis delectus. Nonnulla tamén, quae propter praecipuam dignitatem non omittenda videbantur, in librum meum recepi.

Quid quod nonnullis fortasse non bene factum videtur, quod in verbis construendi modum indicavi, non eundem semper, ut fieri solet, exemplis et dilucidavi et exornavi. Quae res quamquam maximam in iis lexicis, quae partim scribendo partim loquendo adhibentur, habeat utilitatem, tamen omnino non necessaria videtur in iis, quae nihilo paene nisi scriptoribus intelligendis inserviunt. Accedit, quod lexicis Arabici tum verborum tum significationum ambitu completi nomine non omni ratione indigni neque moles nec pretium parvum esse potest. Multis autem scriptorum locis adductis et explicatis quum ut moles ita pretium mirum in modum augeatur, fieri non potest, ut entorum numerus non deminuat, et equidem non video, quomodo, quitali in libro edendo sumtus posuerit, detrimento liberetur. Quod detrimentum quo certius caveret, qui operis vulgandi curam susceperat vir honestus, ut statutum foliorum numerum non excederet, conditionem tulerat. Nec vero ego satis mirari queo, quod in duplo, quam constitutum erat, maiore foliorum numero, ea enim fuit viri humanitas, nec edendi operis difficultatem neque vituperationis causam viderit, quae res ut mea ita omnium, quibus cordi haec litterae sunt, laude et gratia digna habenda. Ego vero reprehensionem doctorum non vereor, quod, praetermissis minus necessariis, eos tantum locos adnotaverim, qui aut quia pro linguae Arabicae ratione multum a nostra tum cogitandi tum loquendi modo abhorrebant, aut aliam ob causam omitendi non erant.

Alterum autem est, in quo lexicis bonitas cernitur, ut sint significationes verborum extra omnem dubitationem positae. Quae enim in interpretandis scriptoribus veri sensus fides esse potest, nisi verborum significationes sint probatae? Atque in hoc pravitatis genere multiplicis erroris fons latet, qui quo difficilior est lingua, eo largius manat. Haec igitur virtus ut in lexico meo esset, duo mihi erant videnda, unum ut bonis tantum e fontibus haurirem, alterum ut multam in significationibus definiendis cautionem adhiberem. Primum de fontibus lexicis mei dicam.

Omnes inter libros, quibus usus sum, primum occupant locum Djeuharii et Firuzabadii opera, quorum ille maiori doctrinae copia, adductis saepius poetarum versibus et significationum auctoribus nominatis opus suum exornavit, hic maiori verborum atque significationum multitudine praestare videtur. In utroque lexicī mei fundamentum posui. Licet enim rarissime in Djeuharii opere reperiatur, quod non idem apud Firuzabadium legatur, haud raro tamen ex unius verbis lux quaedam oritur alteri aut dubium removetur. Ipsius quoque Djeuharii verbis interdum vitium a Firuzabadio aut eius editore commissum detegitur. Ut ne vero quis ex Golii opere verborum significationes, easdem quum apud illum legerit, sumsisse me opinetur, non id quidem mihi videtur silentio praetereundum, quod de omnibus Golii, quae maximam partem ex Djeuharii opere collegerit, non nimium confidens Firuzabadii opus inspexerim, collato quoque Djeuharii opere. At vero quum de lexico edendo per litteras viros doctos certiores facerem, hoc mihi erat consilium, ut, in Golii opere mei fundamento posito, vitiosa corrigerem, nova adderem; id enim si fecissem, non parum me in elaborando adiumenti habiturum sperabam. Quae spes multum me fefellit, multa enim quum essent aut addenda aut corrigenda, multa deinde in meliorem ordinem redigenda, tantam mihi res creavit molestiam, ut quod non potius caeteris neglectis, ex Djeuharii Firuzabadiique libris plane nova operis fundamenta jecissem, maxime dolerem. Erat enim, ne negligentiae aut incitiae vitia e Golii libro in meum irrepererent, multum cavendum, ideoque in singulis vocibus denuo adeundus et Firuzabadius et Djeuharius atque retractandus, quo labor meus mirum augebatur in modum. Nec vero illa, quae Golius ex aliis quam Djeuharii aut Firuzabadii operibus adnotaverat, quamquam in ipsa, quia libri ad manus non erant, inquiri non poterat, omnino omittenda putavi et postea, quum, aliqua libri parte typis impressa, pluribus ex hisce aut vitia aut Persicae linguae proprias inesse significationes, cognovissem; fontis nomen, quod prius neglectum erat, addendum censei. Quae etiam in Golii exemplaribus tum Iac. Schultensii tum Iac. Reiskii et Bergii professoris olim Duisburgensis ad marginem adscripta, in rem meam converti, tacere non debeo. Exemplar Iac. Schultensii, viri in hisce litteris versatissimi, in bibliotheca Lugduni Batavorum asservatum, quae erat viri singularis doctrina atque diligentia, multis tumde rebus tum de verborum significationibus, quae potissimum ex libris manuscriptis sumserat, adnotatis auctum erat et ornatum. Alterum quod clarissimi Reiskii fuisse dixi, in bibliotheca Regia Havniae est. Multa cum laude quum in vita Reiskii de isto exemplari praedicasset auctor, tantum me eius potiundi desiderium implevit, ut primum intercedente legato Regio per litteras in nostra Musarum sede utendi veniam rogarem, tum spe frustrata Havniam aditurus iter susceperem. Res ipsa expectationem fefellit, nimias enim laudes et rem multum superantes esse intellexi. Inerant quidem plura ad marginem scripta, tum scriptorum loci, tum verborum significationes; sed quae erant a viro doctissimo ex codicibus Lugdunensibus desumpta, ea maximam partem, quum Lugduni versarer, a me observata erant. Tertius denique Golius Bergii, qui Bonnae in bibliotheca Regia est, multis ad marginem scriptis auctorum iam editorum locis, auctus est, rarius codicum manuscriptorum. Qui autem loci quum significationes aut usu loquendi aut Djeuharii Firuzabadiique auctoritate certissimas nullaeque dubitationi obnoxias spectent, fieri vix potest, ut inde magnum quis capiat commodum. Ego vero viri tantum abest, ut laudes minuere studeam, ut effici non possit, quin eum tam venerer, quam magni aestimem. Alios tamen libros adhibui praeter eos, quos modo nominavi Arabum lexicographos et Ibn-Doraidi opus, quod ad lexicographiam pertinet, quum Lugduni versarer, pervolvi; neque enim mihi tantum, ut totum perlegerem, otium concessum erat. Est maximae auctoritatis liber, quo senioris aevi scriptores multum usi sunt. Duos

praeterea libros haud spernendos ibidem magna cum diligentia pertractavi, unum inscriptum كتاب الأضداد „Liber contrariorum”, auctore mihi incognito, in quo vocum significationes in usu loquendi contrariae sibi adnotatae sunt, alterum cuius auctor Abu-Manzur Manhub ben-Ahmed ben-Mohammed ben-Alchadr, nisi fallor, sexto post Muhammedem saeculo vixit. Collegit auctor et explicavit voces peregrinas in linguam Arabicam receptas. Giggeii me opus omnino neglexisse, Castelli parum tantum in usum adhibuisse, nemo harum rerum peritus vituperabit, quum eorum unus ex Firuzabadii opere librum suum composuerit, alter his quaedam, at non bona semper atque fide digna, addiderit, quid quaeso, potest esse utilitatis in conferendis hisce libris ei, qui tam Djeuharii quam Firuzabadii opus non sine studio atque diligentia pertractavit. Nec mihi erat alia causa, cur plurimum, quae ad manus habebam, lexicorum Arabico-Persicorum nullam prorsus rationem habuerim, timebam enim, ne, quas Persae pro ingenii et linguae suae ratione mutarint significationes, cum mere Arabicis commiscerem.

Magno quoque mihi erant adiumento carminum scholia vetera, tum in significationibus accuratius definiendis atque intelligendis, tum in novis inveniendis, inest enim ipsius poetae verbis maximum contra errorem legenti subsidium. Quot autem ex hisce potiundi mihi erat facultas, tot aut tota perlegi aut saltem pervolvi. Quorum mihi haec potissimum mentione digna videntur. Hamasae carminum scholia, tum Hudseilitarum, Djeririi, Motenabbii, Abu l'Ahlac, Ohmari ben-Faredhi, Abu-Tammami, septem carminum, quibus Moallakat nomen est, nec non Meidanii proverbiorum atque Haririi consessuum. In vocabulis propriis sive technicis definiendis usus sum libro تعريفات „Explicationes” inscripto, de rebus, quae ad naturam spectant, qualia sunt plantarum nomina et animalium, Domairii Kazviniique opera inspexi itemque Forskålum consului.

Me porro ex aliis varii argumenti operibus tum manuscriptis tum typis editis plura in usum meum convertisse, nemo non videbit, qui librum evolverit. Ex hisce nominare placet gravissima illa Ebn-Arabschahi et de Sacyi opera omnia, librum Tochat-Ichwan Alzafa, historicorum, medicorum opera quaedam aliaque, quorum si nomina loco suo non semper adnotaverim, id, ne rebus utilioribus, speciem doctrinae inutilem non amans, locum eriperem, factum esse censeatis.

Enumeratis libri mei fontibus, restat, ut doceam, quae fuerit utendi ratio. Magna est in significationibus definiendis diligentia adhibenda, cavendum ne specie quadam veri in errorem inducamur. Quae diligentia quum sit in omni scriptore interpretando necessaria, maior tamen esse debet in scriptore Arabico; ut enim quisque est difficillimus intellectu, ita maxime opera danda, ut ad sensum scriptoris penetremus, id quod non nisi diligentia fit et cautione. Quod quum ad librum nostrum tum recte iudicandum tum adhibendum multum referat et aequè utile sit viris doctis eundem aut amplificaturis aut correcturis, diligentius exponam.

In lexicis et scholiis unam vocem magis usitata altera explicari mos est. Quae res ob significationum miram copiam, magnam non raro exhibet molestiam, quum ex multis eam, quae conveniat voci, eligere difficile sit. In scholiis magnum legenti afferunt scriptoris verba adiumentum, quod non item fit in lexicis, sunt enim nuda lexicographi verba, rarius additur scriptoris locus, ex quo significatio hausta. Id quod a Firuzabadio semper paene neglectum observamus, a Djeuhario interdum factum esse videmus. Adeunda igitur, ut vocis explicationis gratia adscriptae sensum intelligamus, lexicographorum Arabicorum opera, temerarium enim id esset, si quis in tanta tum verborum tum significationum multitudine soli memoriae confidere vellet. Quod vero quominus in singulis semper fiat, nimia, quam adfert, impedit molestia. Evolvendus

igitur aut. Castelli aut Golii liber. Qui quum sint errori interdum obnoxii, fit, ut inscii eorum errores in nostrum transferamus. Maxima quidem, hanc ut rem evitarem, adhibita est cura atque diligentia, in rebus dubiis et incertis ipsos semper adii scriptores Arabicos, non pauca sunt correcta. Quae res quo magis appareat legentibus, pauca ex multis eligere liceat exempla.

Golius sub radice جدل sensum vocis جديدة non bene intellexit, et duplex in interpretandis Kamusi verbis vitium commisit, unum, quod vocem الحَيْض enunciavit, alterum, quod eandem ab antecedentibus, quibuscum coniungenda erat, separavit. Quae sunt Kamusi verba وشبه آتب من آدم ما ياتر به الجديدة..... والصبيان والحَيْض, eorum hic est sensus: „Vox جديدة ei, cui آتب nomen, similis est res, corio confecta, qua pueri et menstrua patientes tanquam cingulo utuntur.” Ille vero quum vocem falso enunciatam a praecedentibus separaret, factum est, ut menstruorum significationem eidem tribueret. Tum quoque Golius voci مجرد significationem solus, solitarii obivit peregrinationem etc. inesse putavit; sed non est dubium, quin, quae in Kamuso leguntur verba وللج افرده ولم يُقِرُّن, ad vocem جَرْدٍ pertineant. Ut vero in forma verbi, ad quam Kamusi verba referantur, erravit, ita in vocis significatione definienda rectum non vidit. Sub voce قرن nil, quo illa vox explicaretur, inveni; sub voce قرن haec tantum leguntur والعمره قرانا كقرن وقرن بين الحج والعمره قرانا كقرن, minus vero probanda est forma verbi quarta eodem sensu adhibita.” In his aequae et in iis, quae ex Meidano Golius sub voce مفرد attulit, erat suspicionis causa. Apud Haririum in scholiis p. 523 recta huius vocis explicatio legitur. Ex Djeuharii libro Golius vocibus ذو جرز duri, crassi significationem tribuit; sed in nostro, quo usus, huius operis exemplari omnino desunt, in Kamuso ذو جراز leguntur. In explicanda voce جريف Golius voce Persica بيشه seductus fuit, non enim videtur artis, sed densi et perplexi significatio tribuenda, tum in Djeuharii opere frustra quaesivi. At vocem اجفا interpretatus est Golius verbis secutus sectatusve fuit pecora nec pascere sivit. Aut hic error ex vitiosa Djeuharii lectione ortus, aut quoniam Golius vocem اتبع altera cum voce اتعب permutavit; legitur enim in meo Djeuharii codice Refert Abu-Saidus, verba المشية افهى, significare: Fatigasti iumentam moram vorandi non concedens. Tale iumentum appellari مشية. Tum Giggeius et Castellus Firuzabadii verba والزبون الغبي والحريف مولد non bene intellexerunt. Vitium inesse iam vidit vir illust. Silv. de Sacy (Chrest. Arab. T. III. p. 186 ed. alt.), quem tanquam magistrum pio veneror animo, neglexit autem adnotare pro voce الحريف legendum esse الحريف, cui opinioni favet locus in Kamuso Turcico وزبون شاشقين وغبي وندان ادمه دينور وبو مولد در يقال رجل زبون اى غبي وخريف.

Insunt quoque lexicographorum libris vitia quaedam aut ab auctoribus ipsis aut a scribis iisque, qui iis typis imprimendis curam gerebant, commissa, quae quo sunt leviora atque occultiora, eo difficilius deteguntur, praesertim, quum in huiusmodi libris vitiorum suspicio perraro in mentem incurrat. Quid, quod uno tantum Kamusi exemplari, editione Calcuttensi usus, conferendi codicis copia carebam? Magnam inde molestiam perpeessus quum essem, in benignitate viri clarissimi Wilkenii bibliothecae Regiae Berolini praefecti solatium mihi exstitit, misit enim ad me Bonnam Kamusi exemplar Turcicum et quantum saepius in locis dubiis inspicienti mihi profuit, tantum viro illi debeo. Djeuharii exemplar ex bibliotheca Gothana, cuius usus amicitia atque benignitate doctissimi Moelleri, viri de nostris studiis optime meriti, concessus mihi fuit. Septem multum diversis partibus constat, non omnibus aequae bonis nec non destitutis maximam par-



tem vocalibus, ut facere non possem, quin saepius Djeuharium Turcicum, qui est in Academiae nostrae bibliotheca, adirem. Ne vero quis, in Kamuso Calcuttensi reperiri vitia, temere dictum a me existimet, idcirco exemplis rem illustrabo adparebitque magnam in utendo adhibendam esse et diligentiam et cautionem.

Vox مجدل explicata est voce altera قصير, quae *breve*, *parvum* designat; Golius vero *arcis* قصر significationem tribuit voci Djeuharii auctoritatem secutus, cui ut accederem movit me tum poetae Alcomaiti versus:

كسوت العلافيات هوجا كانها مجادل شد الراصفون اجتدالها

„*Sellas Ihlafiticas imposui camelis celeribus, quae arcibus firmiter ab aedificatoribus constructis similes sunt,*”

tum alter ab eodem Djeuhario adductus poetae Alachschae:

في مجدل شد بينانه يزل عنه ظفر الطايير

„*In arce ita firmiter aedificata, ut aves in eius muros unguis immittere non possint.*”

Vocis متجدون in Kamuso scriptionem esse falsam probat versus a Djeuhario adscriptus:

الست متجدون على الرحل دائب لما لك الا ما رقت نصيب

„*Nonne es abruptus, super sella lassus? Tum non est tibi portio, nisi quae dono datur.*”

Sub radice حجر voces واحتجر به explicatae sunt verbis والتجأ واستعاد; ego vero non dubito, quin sit استعاد legendum. — Vocabulis حسف et حسيف explicandi causa adposita sunt verba جوش لليا; rectum est جرش. Sub eadem radice ex verbis اجن وحسك, كفرح اجن in احن mutandum est. Quae sub radice حطر legitur vox حاضوم explicata altera voce حاضوم, ea voce حاضوم explicetur. Vox تنقذ illustrata est altera تنقذ; recta autem est scriptio تنقذ. Vox جلسب cum derivatis mutetur in جلسب. Mutandum quoque المتختر, quod post حاكل est, in المتخين, et sic in Kamuso Turcico legitur. Vocem جليجة reddidit auctor verbis محض بالسمن, quis autem est, qui non legat محض بالسمن? Vocem خلق explicatam invenimus voce شكل, cuius rectior scribendi modus est شكل. Sub radice حمك pro voce اذلاء viles, contemti scribatur اذلاء viae duces. Tum Kamusi auctor vocem حمة voce نومة explicavit, qui scribendi modus et a Golio in appendice indicatus est, nihilominus legatur بومة. Huiusmodi vitia ut propter usum scripturae Cuficae orta videntur, ita quoque, ut opinor, eadem de causa, voces احتزل et احتزك, adnotante Firuzabadio, permutantur. Post vocem حرب pro voce حيف legatur لحف. Sub radice خرق sunt, ni fallor, verba اشهر سنة اشهر او اذا بلغ سنة اشهر او سبعة اشهر in locum falsum translata. Sub radice خرم tria sunt corrigenda, unum خرزة, pro quo خرزة legatur, tum non recta videntur verba ومنقطع العين والآخر ومنقطع العين, quum desideretur rectus coniungendi modus, denique pro مخرم السيل legatur مخرم السيف. Sunt verba كالدوم وبالبحريك شجر كالدوم





rumque librorum explicationes perquirere, quam in legendis scriptoribus, ut novas invenirem significaciones, tempus consumere rati duxi. Si probatae mihi videbantur significaciones, nudas eas adscripsi, sin minus, verba auctoris addidi.

Tertium est, quod lexicographo observandum videtur, ut accurate atque dilucide, non multis sed rei aptissimis verbis significaciones definiat, ne ulla legenti de sensu dubitatio relinquatur; plurimi enim existimo interesse ad scriptoris verba recte intelligenda, significaciones a lexicographo definitas non vagas esse, sed accurate et distincte explicatas. Id vero quum in quaque lingua difficillimum sit, tum ab eo, qui lexicon Arabicum conscribit, in omnibus sine ulla exceptione vocabulis nec exigi potest neque praestari. Quid quod ipsi Arabes in multarum vocum significacione definienda dubitant et haesitant? Accedit, quod rei difficultas multum augetur quum vocis ambiguitate, tum nostra multarum rerum ignorantia. Voci Arabicae شجرة, ut paucis rem patefaciam, tribuenda est significatio *plantae cuiusvis, cuius super terram elatus truncus varios in aërem dimittit ramos, maxime arboris*. Quod si igitur Arabum lexicographi aut plantam aut arborem, mihi plane ignotam, voce شجرة designant, quid quaeso potest esse causae, cur unam aut alteram vocis significacionem praeferam? Arabum autem lexicographos, quum et ipsi accurata rerum cognitione carerent, nec accurate neque dilucide tales res potuisse definire, quis est, qui non videat? Nec vero est minor difficultas in describendis membris partibusque corporis tum in homine, tum in equo, camelo caeterisque animalibus, partim enim ambiguae sunt voces Arabicae, qualis est vox عرق tam *venam* quam *neruvm* designans, partim negligentius a grammaticis descriptae, quam quae a nobis accurate definiantur. Et breviter tantum tangere has ipsas res consueverunt Arabum scriptores. Iam vero quantum distat lingua Arabica ab ea, per quam interpretis munere fungi debemus! quam diversi sunt mores totaque et sentiendi et cogitandi et loquendi ratio Romanorum ab ea; quae apud Arabes est! Ita fit, ut non solum singulis vocibus interpretandis saepius desint apta in lingua latina verba, verum etiam, ut totae res in ipsa lingua Arabica facilius intelligi quam in aliena lingua explanari possint. Ubi igitur res aut dubia aut accurate dictu nimis difficilis videbatur, Arabica addere placuit. Eademque causa, quum rei potius quam verborum habenda esset ratio, impulit ut in verborum interpretatione a Romanorum loquendi modo non raro recederem, cui rei veniam dent lectores benevoli!

Quarta autem, quae restat, lexicographo minime negligenda res, in eo posita est, ut sit verborum atque significacionum aptus ordo. Duplex in verbis disponendis adhiberi potest modus et ordo, unus ut seriem litterarum sequamur, alter, ut originis habita ratione, quamlibet vocem radici, e qua originem duxerit, adiungamus. Illa disponendi ratio quamvis facilior est et quaerendi molestiam utenti levat, tamen alteri praeferenda non videtur. Haec enim statim ab initio discentem quum ducat ad vocum originem et significacionum causas indagandas, doceatque, quam in formandis vocibus secuta sit lingua rationem, tum memoriam multum adiuvat. Etsi vero non eandem haec in quaerendo praebet facilitatem, fieri enim potest, ut quae sit vocis origo, dubitare liceat, tamen, tot et tanta quum discenti paret commoda, in libro meo adhibendam putavi, sperans fore, ut quae vel minus probanda accidissent, excusationem vel necessitatis vel opportunitatis haberent. Huic alter, qui sequitur litterarum seriem, subiunctus est ordo, ut quae e radice derivandae essent voces, eae in litterarum seriem disponerentur. Qua in re quam ego viam ingressus sim, paucis dicendum videtur. Primum id studui, ut quae origine

proximae essent radici, voces, proxime sequerentur eam in verborum serie. Ceteras igitur omnes antecedunt voces, quibus sunt tres litterae, tum sequuntur voces quatuor aut plures habentes, denique sunt positae voces in initio una littera auctae. Radicibus quibus sunt quatuor vel quinque litterae, proprium, litterarum ordinem conservans, locum concessi, putabam enim fore, ut si a recepto ordine recederem, quaerendi facilitati consulerem, et quamquam earum plures a verbis, quae tribus litteris constant, derivantur, plures etiam sunt, quae diversam rationem sequantur. Ut vero in litteris ordo est adhibendus, ita in vocalibus non negligendus. Antecedunt ex vocibus eodem litterarum numero gaudentibus quae una vocali enunciantur; quae duabus vel pluribus, sequuntur. Primo loco sunt positae voces, quibus est vocalis Fatha, tum sequitur vocalis Kesre, denique vocalis Dhamma et hoc quidem modo 1) فَعَلَ, فَعِلَ, فَعُلَ; 2) فَعَلَ, فَعِلَ, فَعُلَ; 3) فَعَلَ, فَعِلَ, فَعُلَ; 4) فَعَلَ, فَعِلَ, فَعُلَ; nec aliter in ceteris.

Sed exposito verborum ordine, deinceps de significationibus dicendum est. Quibus in disponendis est ratio duplex, nam aut e radice aut una ex altera sunt derivatae. Utriusque ratio habenda, ut quemadmodum sint derivatae, ipso ordine adpareat. Anteponenda significatio princeps, significationes inter se cohaerentes loco coniungendae et quo magis absit a radice significatio, eo remotiorem habeat locum. Id quam sit difficile factu, neminem Arabicam linguam callentem fugiet, est enim saepius significatio, quam dixi esse principem, aut omnino deleta, aut ita mutata, ut cognosci nequeat. Significationes ipsas derivatas tantâ interdum subiit mutatio, ut quominus eius cum principe cognationem intelligamus, impediamur. Tum disparentibus ex significationum serie pluribus, derivandi ordo non raro interruptus est. Collatis quidem inter se dialectis cognatis, fieri potest, ut quae in una deleta sit significatio princeps, in altera adpareat, sed quam sit id incertum et periculosum, sexcentis iam dudum probatum fuit exemplis, incidit enim in Scyllam, qui vult vitare Charybdim. Et profecto qui vel in lingua Hebraea vel Arabica id perficere tentarunt, infelicis eventus exemplis nos monere atque deterrere debent. Multo vero rem esse difficiliorem in lingua Arabica, quam in alia quacunque, tum ex eo, quod máxima est significationum multitudo, tum quod parum inter se nexu cohaerent, intelligitur. Gens Arabum ante Muhammedis tempus divisa in varias tribus, quae quum magnam terrarum Orientis partem incolerent, ut vivendi ratione sic moribus discrepabant. Quot igitur tribus, tot linguae Arabicae dialecti, et fieri non potuit, quin, qui variam in diversis regionibus et climatibus vivendi rationem sequerentur, variam quoque et vivendi rationi accommodatum loquendi modum excolerent. Multum quoque fecit ad varias linguae Arabicae dialectos excolendas atque exornandas, magnus, qui inter singulas tribus florebat, poetarum numerus, quorum quisque pro ingenii sui ratione, varie locupletavit linguam. Ita factum, ut lingua Arabica immensa verborum copia, nulli nisi poetis usitatorum gaudeat. Quas autem diversas Arabum tribus quum Muhammedes in unum populum coniunxisset, istarum dialectorum diversitas paene sublata fuit, et Muhammedis lege, Alkorano scilicet, quam omnes probabant, Koraischitarum dialectus regnavit, ita ut in istam ceterae omnes tanquam in ramum surculi insererentur. Hinc igitur tanta tam verborum, quam significationum immensa multitudo, qua lingua Arabica locupletata, imo obruta est, hinc illa in disponendis significationibus maxima difficultas. Plures enim saepissime ex illis dialectis ortae sunt significationes principes, multumque inter se discrepantes, plures quoque significationes derivatae, quae cum illa principe non cohaerent. Ex quo facilius intelligitur, non posse omnes huius

linguae et formas et significationes, quia derivandi modus lateat, disponi, quemadmodum derivandi naturae conveniat. Et fuit mihi interdum probabilis causa, cur ab accepto ordine paulo recederem et verba ipsis nominibus, e quibus originem duxerint, anteponerem, tum quo facilius in oculos quaerentibus incurrerent, id studui, ut, quae essent significationes magis usitatae, fieri si posset sine noxa, caeteras loco praecederent.

Atque haec quidem hactenus. Patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile in adhibendo libro, quod cuique sit agendum videre. Tibi autem, Vir doctissime, carissime Roedigere, non possum quin praefationi finem facturus pro eo, quo corrigendi muneri praefuisti, singulari studio atque diligentia gratias agam amplissimas. Quas ego Tibi persolvere non possum gratias variis in opus meum meritis Tuis satis dignas, eas in conscientia pulcherrimi facti inque omnium eorum, qui his litteris favent, grato erga Te animo percipias! Vos denique omnes litterarum Arabicarum amantes, fautores, patronos etiam atque etiam rogo atque oro, ut libro cum diligentia utamini, vitia in eo commissa corrigatis mihi-que erratorum veniam humaniter atque benevole detis. Valet.

Scripti Bonnae Calend. Febr. MDCCCXXX.

2 Vols per Ruby Morocco

topattum

school board

office

Littera *Alif* in lingua Arabica vario usui inservit, eamque ob causam a grammaticis Arabum variis nominibus appellatur, quae afferre a re alienum non erit. 1) Primum aut a) أصليّة *Radicalis* ut in voce امرّ aut b) قطعية *Separabilis* ut in voce أحسنّ aut c) وصلية *Coniungenda* ut in voce استغفرّ appellatur. Tum 2). pro vario in lingua usu varia accipit nomina a) فاصلة *Separans* in voce بعدوا, quod litteram Pluralis notam a sequente separat, ne pro copula و habeatur, et in voce افعلنانّ, in qua ea utrunque ن disiungitur; b) الف العبارة *Significans* vel *efficax* ut in verbis أنا استغفرّ الله; c) المنجولة *Ignorata* ut in formis فاعل et فاعول, in quibus nil nisi vocalem *A* longiorem reddit; d) الف العوض *Vicem explens* quia loco Nunnationis est ut in عبداّ pro عبدينّ; e) الف الصلة *Coniungens* quia Vocalem *Fatha* in fine versus cum littera antecedente coniungere dicitur ut in voce الضميرأ; f) الف النون الخفيفة *Alif levioris* Nun ut in voce لتسفعا; g) الف الجمع *Alif Pluralis* ut in vocibus جبالّ, مساجدّ, h) الف التفصيل والتقصير *Alif praestantiae et defectus* ut in his أجهل منه et أكرم منك; i) الف الندبة *Alif planctus* ut in وَا زبداء; k) الف التانيث *Alif feminini* ut in vocibus حمراء, حبلأ; l) الف التغايبي *Alif negligentiae*, quam aliquis adhibere solet, inceptum sermonem territus abrumpens ut in verbis إن عمرآ utique Ohmar ah....; m) الفات المدات *Litterae Alif extensionum* ut in compluribus vocibus ut كلكال pro كلكل, خاتام pro خاتم; n) الف الحولة *Alif permutatum*

nempe ex littera ي vel و ut باع pro بيع et قام pro قوم; o) الف التثنية *Alif Dualis* ut in يذهبان etc.; p) الفات *Litterae Alif Coniunctionis* ut in pluribus vocibus sicut ابن, ابنة, امرأة, اسم etc.

أ Particula a voce sequente inseparabilis 1) Vocandi particula (الف النداء); sed tantummodo usurpatur, quum is, quem advocas, in propinquo est O, heus! 2) Particula interrogandi (الف الاستفهام) Num, an; أكذى Itane? significat vero Utrum — an, sive — sive, si أم sequitur. A poetis interrogationis omittitur. Post hanc particulam et و saepius pleonustice ponitur أولأ, أفلا, ألا Nonne? أو لمأ et أو لمأ An non? an nondum?

آ vel آ 1) Particula eminus vocandi Heus, o, 2) particula deridendi Hui, vah.

آ et آ Sonus آ 2) Coll. nom. unit. c. 8 Nomen fructus, quo coria inspissantur (non est nomen arboris ut Djeuharius dicit).

آ et آ Vox quae ei dicitur, qui rem non vult: Apage, Vah.

آ Sonus tussientis.

آ et آ pro ألباح Albumen ovi.

آ الرغيس Cortex radiceis oxyacanthae sive berberis. Vox barbar.

آ Coll. Myrtus, Reliquiae, vestigia rei, Sepulcrum, Socius, dominus.

آ الطريال Gingidii species.

A





أبد *i. q.* وُلُوْد (asina, serva).

أبد *F. v.* (propr. quae frequenter parit وُلُوْد) (asina, serva),  
fugax, immansuetus. الأبدان Serva et equa.

أبيد Sempiternus, Planta quaedam.

أبيد أبيد in sempiternum.

أبدى Sempiternus.

أبد Animal fugax, pavidum, immansuetum, fera, res  
mira, peregrina, occulta, Malum, infortunium, res  
cuius memoria semper manet quum insueta et magna sit.  
*Pl. أبد* Ferae *Pl. أوابد* Infortunia, Versus mirae pul-  
chritudinis et divulgati per regiones, ferae, perennes aves,  
quae semper in eadem regione manent, *conf. قواطع*

أبد Fugax, haud mansueta (camela).

أبر *F. i. o. n. a.* أبر, أبار, 1) Pupugit (scorpio) *c. acc.*;

2) Absentem diffamavit; 3) Acum in esca dedit (*cani*)  
*c. acc.*, perdidit (*homines*); 4) Palmam fecundavit mar-  
ris insertione (لغج), Bene curavit palmam et sata  
*c. a. r.* b) أبر Bona, integra fuit res. II Palmam

(fecundavit) et sata bene curavit *c. a. r.* V Fecundari  
se sivit. VIII Petit ab aliquo, ut palmam vel sata  
bene curaret, Fodit (puteum) *c. a. r.*

أبار Plumbum (*Reisk. ad librum Rhazis de affectuum sin-  
gularum corporis partium curatione*).

أبار (*Nomen*) Fecundum reddere.

أبر Ficus sycomorus *Forsk. Flora p. cxxiv.* (*rectius c. v.  
vide أبرة in fine*).

أبر *Pl. أبر et أبار* Acus, aculeus, Prominentiores et acu-  
minatae rerum extremitates. *Plur. أبرات et أبر* Os

magni nervi in tibia hominis ad calcem pertingentis  
(عرقوب) sunt extremitas exterior partis in equi  
pede utroque, quae عرقوب appellatur vel extremitas cu-  
biti (ذراع) in manu, Gracilis, tenuis pars (brachii), os  
cubiti vel os aequalis cum extremitate cubiti (زند) a  
cubito (ذراع) usque ad extremitatem digitorum, et no-  
vella palma e fructu palmae sylvestris prodiens (فسيل  
المقل), Sycophantia, Arbor fico similis.

أبار Acuaris aut qui conficit acus, aut qui vendit acus  
Pulex, أشباف الأبار Morbus oculi.

أبرى Acus vendens.

أبرى pro عيرية Furfuratio capitis.

أبرى Locus acus, Sycophantia, concordiae corruptio, Id  
quo palma fecundatur, Tenuior arenae pars.

أبرى Theca, in qua ponuntur acus.

أبرى *Pl. أبرى* Corruptio concordiae, sycophantia qua al-  
terius dicta vel facta maligne divulgantur, primum germen  
arboris دوم.

أبرى *nempe* أبرى فى دىنى *i. e.* أبرى *c. v. f.*  
Fecundata palma, Acutus ensis.

أبرى Fecundata palma.

أبرى Cataputia (*Vesalio: burungium vel erysimum Reisk.  
ad lib. Rhazis*).

أبرى *ἄβρονον* Aurum purissimum.

أبرى *et أبرى* Pers. أبرى Sericum.

أبرى *id.*

أبرى *Pl. أبرى et أبرى* vox Pers. 1) Gutturium,

2) Gladius valde splendens.

أبرى *Demin. nominis أبرى* Abrahamulus.

أبرى *F. i. (F. o. sec. Camus. ed. Calcutt.) n. a.* أبرى *et أبرى*  
(quod fortasse nomen est) 1) Assilivit, dimissus fuit in  
cursum (*dorcas*), 2) Impetum fecit, 3) Iniquus fuit,  
Insultavit alicui *c. p.*, 4) Substitit inter currendum  
(*homo*) tum abiit, et mortuus fuit subito.

أبرى Subsiliens.

أبرى Subsiliens, subsultans in cursu *dorcas*, Camela admi-  
rabilem fortitudinem et patientiam ostendens.

أبرى Assultus.

أبرى Subsiliens in cursu *dorcas*.

أَبْرَارٌ <sup>5-0-3</sup> Pers. Pl. أَبْرَارٌ, Quicquid aromatum sive olerum cibo inter coquendum addi solet, Planta in locis frigidis et palustribus crescens, asparagi forma et qualitate acris. أِبْرَارُ القَطَّة (Tunetanis et Africae incolis proprium) Sem-pervivuum iniuus.

أَبْرِيمٌ <sup>0</sup> (Vox origine Pers.) Pl. أَبْرِيمٌ Fibula zonæ vel cinguli equini, nempe ipse orbiculus cum sua acu.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> F. o. 1) Reprehendit, terruit c. acc. p.; 2) Subitigavit c. ب. p., incarceravit c. acc. p.; 3) Re ingrata excepit aliquem c. acc. p., vilem reddidit c. ب. p.; 4) n. a. أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Contempsit, parvi habuit c. acc. p. II n. a. أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Contempsit c. acc. et c. ب. V Contemptus, conturbatus, Mutatus fuit (ita in Djeuharii libro, sed hoc vitiosum, nam verum est أِبْسٌ).

أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Contemptus, Locus asper et salebrosus, pars terrae protuberantior et inaequalis, testudo mas.

أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Prava origo et natura, Locus asper.

أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Pravae indolis (mulier).

أَبْسَاتِقٌ <sup>5-0-5</sup> Interpretatio libri Zend, quem Zoroaster pro lege dedit.

أَبْسَاتِقٌ <sup>5-5</sup> (عَبَسَتْ q. i.) n. a. أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Collegit rem c. a. II n. a. أِبْسٌ <sup>5</sup> id., Sermonem confuse instituit, miscuit varium sermonem.

أَبْسٌ <sup>5</sup> Qui ornat atrium sive vestibulum alienae domus instruitque cibo suo et potu.

أَبْسَةٌ <sup>5-5</sup> Hominum turba, coetus, miscella turba.

أَبْسِيٌّ <sup>5-5</sup> Reiskius. i. q. أَبْسِيٌّ.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> F. a. Agilis, alacer fuit (equus).

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Agilis, alacer, velox (equus).

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> idem.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> F. i. 1) n. a. أِبْسٌ <sup>5-5</sup> Anteriorem pedem cameli genu flexo alligavit membro superiori; 2) Venam vel nervum

أَبْسٌ b) et NSA in pede affecit ut contractus esset.

Laboravit ex tendinis NSA contractione, quum in pede vena laesa esset. V Ligavit modo nominato camelum c. acc., Ligatus fuit, Contractus fuit femoris tendo. VIII Contractione nervi femoris affectus fuit.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Laxatio, solutio, quies, motus.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> pro أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Pl. أَبْسٌ Saeculum, interior pars a genu in hominibus et bestiis.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Postica femoris et cruris iunctura, fere sinuosa, ex adverso respondens genu.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Multum sudans (equus).

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Arteria, vena, nervus (عَرَقٌ Dubitari potest utrum vena an nervus sit quum voc. عَرَقٌ utrumque significet, sed أَبْسٌ <sup>5-5</sup> nervum esse puto) in pede, Pl. أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Funis, quo ligatur pes cameli.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Celerrimus (equus).

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Pl. مَابْسٌ Interior pars a genu, idem locus in camelo, in singul. de cubito valet in duali de genu.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> موتَبْسٌ <sup>5-5</sup> nempe النسا موتَبْسٌ <sup>5-5</sup> Corvus. Hamas p. 211. l. 5 infr.

أَبْسِيَّةٌ <sup>5-5</sup> Nomen sectae haereticae, quae originem duxit ab Abd-Allaho ben-Ibadh Tamimita.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Pl. أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Gen. comm., Axilla, Interior pars humeri, Tenuior arenae pars, أِبْسٌ <sup>5-5</sup> ambages rerum.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> (pro عَبَسٌ) Demisit, deiecit. V (ab أَبْسٌ <sup>5-5</sup>) Sub axillis postuit, gestavit, iecit vestem a manu dextra super humerum sinistrum, ut dexter appareat, sinister tectus sit. VIII Planus, quietus fuit, gravis confusus perturbatus fuit (animus). X Fodit foveam supra angustam et infra latiore.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Quod ponitur sub axilla, res quaevis lateri imposita seu accineta. يَلِي أَبْسِيٌّ i. e. جَعَلْنَهُ أَبْسِيٌّ.

أَبْسِيٌّ <sup>5-5</sup> Axillaris, et articulo أن restrictum vena axillaris.

أَبْسٌ <sup>5-5</sup> Cannabis, vel eius cortex, aut cortex *αχουόστρεπος* plectendis funibus inserviens.

أَبَقٌ F. a. i. n. a. أَبَقٌ et أَبَقٌ et أَبَقٌ Aufugit (servus)

non propter timorem vel molestiam perpetiendam, se abdidit et se subduxit. V Abditus fuit, latuit, continuit se, abstinnit c. عن, negavit c. acc., abstinnit se a peccato, resipuit ab eo.

أَبَقٌ Pl. أَبَقٌ, أَبَقٌ Fugitivus servus, fugax, (in iure) servus qui proposito fugiendi a domino suo abit.

أَبَقٌ idem.

أَبِكٌ F. a. Carnosus fuit.

أَبِكٌ Inerti dicitur أَبِكٌ أَبِكٌ.

أَبِلٌ et أَبِلٌ Virens, et contra siccus.

أَبِلٌ et أَبِلٌ Dem. أَبِلَةٌ Pl. أَبِلٌ fem. Camelorum genus, cameli, nubes fecunda, أَبِلَانٌ duo camelorum agmina.

أَبِلٌ et أَبِلٌ 1) Multi fuerunt cameli; 2) Multos possidet vel acquisivit camelos; 3) أَبِلٌ n. a. أَبِلٌ et أَبِلَةٌ Rei camelinae gnarus fuit, pavit (camelos), in camelo bene et eleganter insedit; 4) أَبِلٌ i. q. أَبِلَةٌ i. q. أَبِلَةٌ جعل له أَبِلًا سَائِمَةً. Dedit illi camelos pascentes; 5) F. o. et i. et أَبِلٌ n. a.

أَبِلٌ Virentis pabuli succo expleverunt vicem potus (camelii et al.); 6) n. a. أَبِلٌ Longum evasit gramen, ut potuerit depasci a camelis; 7) Vicit, abstinnit, abstinnit a coniugis congressu vel a consortio c. عن p.; 8) Dei cultui devotus fuit; 9) Percussit (fuste) c. ب; 10) Camelus pastu graminis novi pinguis evasit; 11) Lorica sepsit puteum c. a.; 12) أَبِلٌ Acquisitus, emtus fuit camelus.

II (pro أبين) Deslevit (mortuum) c. a., Comparavit sibi camelos, pinguefecit camelos c. a., Pass. Multos possidet camelos. IV i. q. II, ما أبله Quam multos possidet camelos! sec. al. Quam gnarus camelorum est! V Virenti gramine nutriti supersederunt potu (cameli). VIII (cum negatione) Minus firmiter equitavit in camelo, non intentus fuit pascendis camelis, eos neglexit.

أَبِلٌ Humidus, foenum recens, noxa, gravitas et molestia ex indigestione, qui multos possidet camelos.

أَبَلٌ Carnosus (camelus).

أَبَلٌ Reliquiae pabuli, quod remanet post resectum foenum, vel quod a iumento relinquitur.

أَبَلٌ Camelos possidens, peritior artis pascendi et fovendi camelos.

أَبَلٌ Pl. أَبَالٌ Recenti gramine potum supplens, rei camelinae gnarus, et in pascendis curandisque camelis solers, camelo egregie insidens, etsi inequitare nesciat.

أَبَلٌ Sine pastore vagantes neglecti cameli.

أَبَلَةٌ Res expetita, res agenda, petitio, indigentia, necessitas, ما لي إليك أبلة non indigeo tui.

أَبَلَةٌ Inimicitia, hostilitas.

أَبَلَةٌ Noxa, calamitas, perniciēs.

أَبَلَةٌ (pro وبلة) Gravatio, molestia, noxa ex cibo etc., culpa, delictum, dactyli inter duos lapidos contusi, quibus supermulsum est lac.

أَبَلَةٌ Prolifera (camela), petita res, necessitas, benedictio prolis.

أَبَلَةٌ Petitio, quod quis expetit vel agendum habet.

أَبُولٌ Agmen avium, equorum, camelorum.

أَبِيلٌ et أَبِيلٌ Monachus Christianus, antistes Christianorum.

أَبِيلٌ Tristis, moestus, monachus Christianus, antistes Christianorum, Pl. أَبِلٌ Baculus.

أَبَالٌ Camelorum pastor, praefectus.

أَبَالَةٌ Administratio opium, ذو أَبَالَةٍ Vir, qui bene administrat camelos eorumque curam habet; disciplina, regimen, tribus, asseclae, (i. q. وبالة) fascis lignorum pcc. magnus, fascis graminis aut foeni, Prov. ضغث على أبالة Fascis graminis super fasce lignorum i. e. molestia addita molestiae, malum malo; armentum, camelorum agmen, cameli una serie se invicem sequentes, turma avium, agmen equorum, lorica putei.

أَبَالَةٌ Fascis lignorum magnus.

أَبَلَةٌ Tribus, socii.

أَبَلَةٌ Portio et quantitas dactylorum.

أَبَلَةٌ pro جبلة Pl. أَبَالَتٌ Progenies, socii.

<sup>6</sup>أبْلَة Dactyli, qui inter duos lapides conteruntur et super quos lac mulgetur, portio dactylorum *sec., al.* Massa dactylorum in pilam coacta.

أبل أو ابل Cameli multi.

أَبُول Pl. أَبَاوِيل Agmen camelorum, series eorum invicem sequentium.

أَبِيل *idem.*

أَبِيلَة Fascis lignorum.

أَبِيلَة Fascis graminis et foeni.

أَبِيلَة *Deminutivum vocis* أبل.

أَبِيلِي Camelinus.

أَبِيلِي Dives camelis.

أَبِيلِي Camelinus.

أَبِيلِي *Id.*

أَبِيلِي et أَبِيلِي Monachus Christianus, antistes Christianorum.

أَبَالَة Fascis lignorum,

أَبِيلِي Monachus Christianus, antistes Christianorum, is qui crepitaculis ligneis praeest, quibus in Oriente Christiani ad preces vocantur, ut أَبِيلِي, أَبِيلِي.

أَبَالَة Terra camelis abundans.

أَبُول Acquisitus (*camelus*), Puteus lorica septus.

أَبِيل مُوِيلَة Einti *cameli.*

أَبِيلِي Pl. أَبَالِي Diabolus.

أَبْن *F. a. o. i.* 1) Opinatus fuit, suspectum habuit, in bonam et malam partem aliquid de aliquo opinatus est; 2) Opprobrio affectus aliquem in facie; 3) *Pass.* Vituperatus fuit, Foedissimae libidinis vitio laboravit. b) أَبْن Coaluit, Alter factus est (sanguis in vulnere). II *n. a.* تَابِين Vituperavit *c. a.*, pone secutus fuit vestigia, rem custodivit, laudavit, deslevit mortuum, venam secuit, ut sanguis

sumeretur, quem assatum edebant. IV Mali aliquid de alio retulit *c. ب. r.* V Pone secutus fuit.

أَبْن *vid.* بنى.

أَبْن Durus, spissus (*cibus, potus*).

أَبْنَة Pl. أَبَات 1) Nodus, nodus in ligno, *inde* 2) Simultas, odium, ut أَبْن بينهم Inter eos est simultas, 3) Vitium, dedecus, flagitium Sodomiticum, Quemvis geminum colorem habens (*vir*), Larynx cameli.

أَبَان Tempus primum rei, tempus idoneum.

أَبَانَة Omnes socii (*viri*).

تَابِين Laus, qua mortuus celebratur; et cinaedus *Reiske* ex *Djerir.*

مَابُون Suspectus mali, improbus, cinaedus.

أَبْنَة et أَبْنَة Ebnus.

أَبْ n. a. أَبْ et أَبْ n. a. أَبْ 1) Recordatus fuit rei, post-

